

sublimationis perfectio, & cum ea subtilietur lapis, donec in vltimam subtilitatis puritatem deueniat, & vltimò volatilis fiat: ab hinc verò cum fixationis modis figatur, donec in ignis asperitate quiescat, & hinc secundus præparationis gradus consistit.

Sed & tertio similiter lapis administratur gradu, qui in vltimo constat præparationis complemento, scilicet vt iam fixum lapidem cum modis sublimationis volatilem facias, & volatilem fixum, & fixum solutum, & solutum iteratò volatilem, & iteratò volatilem fixum, quousque fluat, & alteret in complemento solifico & lunifico certo. Ex reiteratione igitur præparationis huius gradus tertij in medicina resultat bonitatis alterationis multiplicatio. Ex diuersitate igitur reiterationis operis super lapidem in gradibus suis resultat multiplicationis bonitatis alterationis diuersitas: vt ex medicinis quædam quidem septuplum, quædam verò decuplum, & quædam centuplum, quædam verò millefimum, & quædam in infinitum solificum, & verum perfectionis lunificum transmutet corpus. Ab hinc igitur & vltimò tentetur, vtrum in perfectione consistat magisterium.

Attendat ergo quis proprietates actionis seu modos compositionis Elixir maioris: nos enim querimus substantiam vnã facere, tamen ex pluribus aggregatam, coadunatam, fixam, quæ super ignem posita ignis eam nõ exprimat, & liquatis permisceatur, & liquefcat cum ipsis, cum eo quod est in ea de substantia ingressibili, & permisceatur cum eo quod est de substantia permiscibili, & consolidetur cum eo quod est de substantia consolidatiua, & figatur cum eo quod est de substantia fixatiua, & non comburatur ab his quæ comburunt aurum & argentum, & afferat consolidationes cum ignitione debita & perfecta.

Non tamen eatenus breui tempore intelligas, cum paucis diebus vel horis possit prima vice restitui. Sed quod respectu aliorum medicorum modernorum, respectu etiam naturæ operationis veritatis: hæc verò citius terminatur. Vnde dixit Philosophus: Medicina est cuius temporis longum spacium anticipauit. Quare vobis